

et iam nunc ea de re mandata dedimus, omnia denique quae Tua popu-
lorumque Tuorum salus postulaverit, summo studio benedicente Domino
praestabimus, nihilque aliud expectamus, nisi ut de Tua tota voluntate
Nobis planius constet, et quae fama et multorum relatu, ut diximus,
accepimus, eadem ex Te ipso, hoc est ex litteris Tuis Tuisque etiam
Nuntiis multo certius multoque cumulatius cognoscamus. Interea ut
amoris erga Te Nostri et desiderii sinceræ amicitiae inter nos concili-
andae illustrior exstet significatio, has Nostras litteras ad Te dare
placuit, testes voluntatis in Te Nostrae et veluti pignus benevolentiae
eas autem tibi reddent hi duo dilecti filii Nostri, quos ad Te nominatim
mittimus, nimirum Franciscus Costa, religiosus praesbyter ex eadem
societate Iesu, doctrina et zelo Dei praestans, et vir industrius ac dili-
gens Didacus de Miranda, ambo Lusitani, ambo rerum usu praediti
Nobisque probati et valde grati, qui alias etiam in Perside fuerunt,
Tuoque regio nomini sunt addictissimi, quin etiam Didacus Venetiis
collocutus est cum Assandebecchio familiari Tuo, eaque ab eo accepta
de Te Nobis retulit, quae Nobis iucunda valde fuerunt, ex iis igitur
mentem Nostram, ubi ad Te, angelo Domini duce, incolumes perve-
nerint, multo apertius multoque copiosius intelliges, atque illud in
primis, quam appetentes simus salutis Tuae, quam cupidi Tuae am-
plitudinis et gloriae. Quare a Te petimus, ut illis fidem plenissimam
habeas perinde ac si Nos ipsi Tecum praesentes loqueremur; confidi-
mus autem, quod hos nuntios Nostros et Nobis dilectos, omni cum
honore et humanitate excipies, nam et Nos erga Tuos quos ad Nos
miseris, parem humanitatem adhibebimus, ut Noster inter Nos amor
firmiores radices agat et in dies magis coalescat; vere enim ex Nostra
animorum et voluntatum coniunctione magnae et multiplices utilitates
redundare poterunt, quas Te pro Tua prudentia satis perspicere non
dubitamus, sed ea in primis, quae est de Tuo et Nostro et totius nominis
Christiani perpetuo atque infensissimo hoste Turca coercendo, qui
intolerabili superbia et insatiabili cupiditate dominandi omnia regna,
omnes provincias sua tyrannide opprimere et durissimae servitutis
iugo subiicere avidissime desiderat; sed speramus in Dei clementia,
quod humiliabit superbum et brachium eius et dentes eius conteret
in ore eius et molas leonis confringet, cuius rei non obscura indicia
annis proximis dedit Deus in Ungaria, et leonem illum immanissimum
superari posse ostendit; Nos vero pro Nostro pastoralis officio praeter
ea adiumenta, quae carissimo filio Nostro Rudolpho Imperatori electo
adversus teterrimum hostem praebuimus et praebebimus, in ea cura
maxime versamur, ut reges et principes Catholicos, filios Nostros in
Christo carissimos, omni officii genere permoveamus, quo communem
inimicum communibus studiis oppugnent, et magna spe sumus fore,
ut id a divina misericordia impetremus, quod si Tu quoque, iusta indi-
gnatione permotus, tam multas et tam graves Tibi a Turcis illatas
iniurias aliquando ulcisti statueris, et avitae Persarum gloriae memor
Tuaeque propriae virtutis, summa vi summoque animi ardore bellum
non minus Tibi gloriosum quam necessarium susceperis, profecto fera
illa et immanis bellua undique vulneribus confecta prosterneretur, quod
tanto magis sperare Nobisque polliceri licet, quod divinae motionis
vim in Tuo corde videmur videre, dum erga Christi nomen et Christia-